



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Typographus Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

# TYPOGRAPHUS AD LECTOREM.



Um sex, & viginti enumerentur Auctoris Tractatus, qui septem ejusdem molis voluminibus comprehensi ex hac mea Typographia prodierunt, ad Polemicam, ad Scholasticam, & ad Moralem Theologiam spectantes, in quibus innumeræ quæstiones in bono lumine collocantur; ea de causa non pauci eorum Elenchum exoptularunt, ut facili negotio perquirere possint loco suo enodationem difficultatum, quæ hisce de rebus passim occurrunt: Sedulam quippe navavit ille operam, labori non parcens, ne in singulis tractatibus, quæ ad eos spectant, desiderarentur; videlicet aut solide enucleando, quæ acriorem disceptationem requirunt; aut saltem, ut brevitati consuleret, innuendo, quæ non multum negotii faciunt, ac indicando Auctores passim obvios, qui ea fusiore calamo pertractarunt. Ut huic petitioni morem geram, exoptatum Elenchum hic subjicio.

Primum ex Auctoris Opusculis fuit *Enchiridion de Jubilæo, præsertim Anni Sancti, ac de Indulgentiis universim*, dicatum Eminentissimo Ursino Archiepiscopo Beneventano anno 1699. ab Illustrissimo D. Fabio Caracciolo ex Ducibus Montis Sardi, Auctoris tunc temporis Auditore in Lyceò Neapolitano; Quod deinde pluries adjectum fuit in calce Trutinæ Thesium damnatarum.

Secundum fuit Opusculum de 45 Thesibus ab Alex. VII. proscriptis.

Tertium de 65 Thesibus confixis ab Innoc. XI.

Quartum de 33 Thesibus pariter profligatis ab Alexand. VIII.; necnon de quinque propositionibus Jansenii.

Quintum fuit Appendix, in qua nonnulla annotantur ad elucidationem reliquarum thesium seculo superiore confixarum.

Omnia autem quinque isthæc Opuscula, seorsim prius edita Neapoli, complectitur primum ex septem Voluminibus, novies in lu.

lucem editum ; videlicet in hac mea Typographia sexies , bis Neapoli , & semel Francofurti anno 1711 ; Illud autem dicatum fuit Excellentissimo D. Philippo Bernualdo Ursino Hispaniarum Magnati primi Ordinis , Gravinæ Duci &c. ; inscribiturque *Damnatarum Thesum Theologica Trutina*.

Sexto huic volumini alterum subsecutum est , nempe *Trutina Antiquesnelliana* quinquies typis data ( etiam Lugduni , ) in quacento , ac unius Quesnellianarum Thesum falsitas , ac fallacia palam fit , dicata Eminentissimo Cornelio Episcopo Patavino . In tertia autem , & quarta ejus editione plurima adduntur , ac præsertim in Proœmio de Inappellabilitate ad futurum Concilium .

Septimum Opusculum , ad Scholasticam Theologiam cum aliis septem spectans , est de Deo Uno , & Trino .

Octavum de Beatitudine , de Angelis , ac de Actibus Humanis .

Nonum de Divina Gratia Auxiliante , & Sanctificante .

Decimum de Virtutibus Theologalibus Fide , Spe , & Charitate .

Undecimum de Virtutibus Moralibus , & in specie de Justitia , ac de Jure ; Ubi etiam de Injustitia , de Restitutione , ac de Merito .

Duodecimum de Divini Verbi Incarnatione .

Decimumtertium de Sacramentis in genere , ac in specie de Eucharistia tum ut Sacramento , tum etiam ut Sacrificio .

Decimumquartum de Pœnitentia ut Virtute , & ut Sacramento .

Omnia pariter isthæc octo Opuscula seorsim edita octo tomulis tum hic , tum etiam Coloniae , in tertio , ac quarto volumine continentur , quæ inscribuntur *Cursus Theologicus* , dicatus Excellentissimo Magno Altavillæ Comiti XIX. D. Bartholomæo de Capua ex Hispaniæ Magnatibus Principi Ariciæ &c. Hic autem quinquies prælo traditus est ; videlicet ter in hac mea Typographia , semel Coloniae , ac semel Pragæ in Boemia .

Decimumquintum Opusculum cum tribus aliis Theologico-Moralibus , utriusque Theologiæ , Moralis simul ac Scholasticæ succum permiscens , est de Principiis Moralitatis , seu de Actibus Humanis quoad ea , quæ fundant Theologiam Moralem universam .

Decimumsextum de Conscientia Dubia , & Scrupulosa .

Decimumseptimum de Beneficiis Ecclesiasticis ; Ubi fuse de Simonia .

*Pars I.*

c

Deci-

Decimooctavum de Usuris .

Hæc etiam Opuscula complectitur quintum ex septem voluminibus inscriptum *Opuscula Theologico-Moralia* , & dicatum Eminentissimo Pignatelli Sabinæ Episcopo , & Archiepiscopo Neapolitano , quod nuper prælo traditum est in hac mea Typographia .

Decimumnonum ( quod cum reliquis septem Opusculis ad Moralem potissimum Theologiam spectat ) est de Legibus universim .

Vigesimum de Præceptis Decalogi , & Ecclesiæ .

Vigesimumprimum de Restitutione in genere , ac in specie de Restitutione faciendâ in materiis particularibus .

Vigesimumsecundum de Contractibus .

Vigesimumtertium de Sacramentis in genere ; ac in specie de Baptismo , Confirmatione , Eucharistia , Ordine , & Extrema Unctione .

Vigesimumquartum de Sacramento Pœnitentiæ .

Vigesimumquintum de Sponsalibus , ac de Matrimonio .

Vigesimumsextum de Censuris , ac de Irregularitate .

In his duobus postremis ex septem ejusdem molis voluminibus ex hac Typographia in lucem datis , est reperire octo enumeratos tractatus , in quibus universa Moralis Theologia in bono lumine collocatur ; Eorum inscriptio est *Cursus Theologico-Moralis* , dicatus Excellentissimo D. Marco Antonio Burghesio Proregi jam Neapolitano , Sulmonæ ac Rossani Principi , &c. Prior tomus est Legalis ; Alter Sacramentalis .

Nonnulla alia ab Auctore in lucem edita ad meam Typographiam non pertinent ; inter quæ Ephemeris eorum , quæ in translatione Corporis D. Bartholomæi Apostoli evenerunt tempore secundi Provincialis Concilii ab Eminentissimo Ursino celebrati anno 1698. , & Opusculum de Inappellabilitate ad futurum Concilium , ex Conciliis Oecumenicis , & ex ipsis Conventibus Generalibus Gallicanis demonstrata , editum occasione publicæ denunciationis a P. Paschasio Quesnellio coram Tabellione ac testibus exarata , dum is esset morti proximus anno 1719. confirmando provocationem ad futurum Concilium , & in eo Schismate decedendo .